

SERENISSIME PRINCEPS

Neminem certe latere potest, nisi qui penitus in Musarum sedibus hospes sit, quam præclara, et immortalia antea temporibus AUGUSTAE, et GENEROSISSIMAE PALATINAE GENTIS erga Literarum, Republicanam merita fuerit, quantum optimarum Artium, Disciplinarumque amor, et studium, quanta erga literatos homines propensio, et voluntas, quibus domesticis exemplis haud contentus, SERENISSIME PRINCEPS, sicut novam, instaurare Urbem suscepisti, ita novum addere Scientiarum Gymnasium, novumque Graphices Studium voluisti, quorum adminiculo adolescentes melius formari possent, sive ad bellicam laudem, sive ad civiles Artes administrandas. Tuo igitur incredibili, et paene singulari erga Literas, ingenuasque Artes favore excitatus, insitaque humanitate et clementia permotus, qua hominum conatus et studia excipere soles, non dubito Tibi offerre hos qualescumque diligentiae meae fructus, quos improbo labore, assiduisque elucubrationibus comparare mihi licuit, partim Antiquorum aedificationes oculos relegendo, partim nostrorum hominum exemplaria lustrando, qui Veterum vestigiis insistentes nostris moribus, nostroque cultui aedificandi rationem adaptaverunt. Utinam, PRINCEPS SERENISSIME conatibus, et studiis, quibus certe non peperci, par esset industria, et ingenium! Ab incunte enim aetate Architectonicæ, Graphicesque studium, quod latini sermonis egestate coacti barbaro vocabulo Prospectivam, indigitamus, ita adamavi, et in deliciis habui, ut subito mihi incesserit cupido peragrandi Italiam, et praecipue visendi Romanam, de qua merito Virgilius ita
Verum haec tantum alias inter caput extulit urbes,
Quantum lenta solent inter viburna cupressi.

Ibi animo, oculisque lustravi Veterum Graecorum Romanorumque exemplaria, quae nocturna versare manu, versare diurna necesse est, si aliquid proficere in hoc Artium, Curriculo, quisquis ille sit, animo concipiat. Itidem cum primum mihi se obtulit occasio peragrandi Galliam, avidissime eam arripui, ibidemque varium aedificandi, exornandique modum diligenter pensavi, quia varietate multiplicique obiectorum visu semel, iterumque imbutus animus mirum quantum exerescit imaginandi, inveniendique vis. Hoc idem mihi obigit in perlustranda Germania, Urbium celeberrimarum frequentia nulli secunda, in qua simul cum Fratre diu commemoratus primum exornare picturis SERENISSIMI BAVARIAE ELECTORIS Theatrum iussus fui, deinde humanissime invitatus a SERENISSIMO COLONIAE ELECTORE Triclinium, Scalasque pinxi magnificentissimarum, Reditum Herzogfruede tandem in Italiam redituro Manheimium invisere licuit Urbem quasi novam, adprime nobilem, sive spectes loci amoenitatem, salubritatemque, sive Aedificiorum elegantiam, et cultum, sed longe nobiliorem, praestabilemque quia Sedes Imperii sui, in qua ornanda, et polienda omnes quaeque sunt ingenuae Artes certatim symbolum conferunt. Plura commemorare possem, quae in Urbibus, caeterisque locis tuae Vitae subjectis, animadversione digna sunt, quaeque plurimum conferunt ad imaginum copiam, varietatemque mentibus suppeditandam, sed ne tuo SERENISSIME PRINCEPS, otio plus acquo abuti videar, finem faciam, hoc unum addens me albo signaturum esse lapillo diem, qua intellexero Te huiusce qualescumque Typos non indignos putasse, quos aliquantisper oculis lustrares.



